



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Svccinctam Doctrinarum Asceticarum Svmmam Comprehendens - Quam  
ad majorem omnium in Ascési proficere cupientium utilitatem ac  
subsídium

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1685**

§. 9. De Luxuria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48214)

dat, ut officio, quod sustinet, ægrè satisfacere possit. In quo animadverso paulatim eò usque comineatur: temperat, donec integras vires sentiat ad munus suum committendum, modè obeundum. P. Nicolaus Lancizius scribit in suo Magistro Novitiorum hanc regulam temperantiae & sobrietatis præscriptam fuisse, ut tantùm quis comedat vel bibat, ut absoluto prandio vel cæna ad orationem se dispositum sentiat. Hinc & Tertullianus de moribus veterum Christianorum scribens ait: Bibere quantum pudicis est utile: ita saturantur, ut qui meruerint etiam per noctem sibi DEUM adorandum. Et hoc est, quod etiam Angelus S. Pachomio in divinis regulis præcepit: Concede unicuique, ut comedat & bibat pro viribus; neque jejunare prohibe, neque comedere; & meritò, nam, teste Clemente Alexandrino, periculosa sunt extrema, media autem bona sunt. medium autem est, quidquid non eget necessariis rebus. 3. Ut frequentes de Gula victorias reportet quis studeat. Hinc Apollonius laudatus ab Episcopo suavit: Si voles te tibi ipsi exercere, sitibundus magis æstu, accipe volas plenas aquâ frigidâ, eamque rursum expue, ad id te facere nemini dixeris. Quod idem etiam in cibo factitandum.

## §. IX.

*De Luxuria.*

I. Est impuræ & libidinosa voluptatis inordinatus appetitus, de quo pariter tria specialiter advertenda debet Asceta.

II. Primum est, ut bene cognoscat, quòd vitium hoc peculiariter infestet ad perfectionem tendentes. uti bene S. Gregorius ostendit, dum ait: In via autem

ere possi  
eatum  
um cor  
scribit  
mperat  
uis con  
ad oran  
llianus  
: Bibit  
ui mes  
dum e  
o in die  
comer  
e, neq  
e Alex  
ona su  
llariis  
repora  
Epicte  
s mag  
e rurs  
am eti  
nordin  
dvert  
d vici  
dentes  
a aut  
Isra

Israël Amalech restitit, quia libido ad perfectionem tendentibus arma voluptatis objicit, & corda, quæ potest, gladio immundæ suggestionis ferit. Et quia valde fortis & violenta est pugna fornicationis, restitisse perhibetur, non quomodolibet obviâsse; resistere quippe forti, expugnationi instare est.

III. Alterum est, ut bene intelligat, quousque huic Amalech resistere debeat, scilicet implendo illud DEI mandatum; Non pareas, eo, & non concupiscas illius aliquid, sed interfice à viro usque ad mulierem, & parvulum, & lactentem, & bovem, & asinum, & ovem & camelum. Super quæ verba S. Gregorius ait; Parcit Amalech, qui blandimenta lasciviæ aut in locutione, aut per intentionem, aut in cogitatione tenet. Dicit, non parcas ei, quia de tam nequissimo vitio nihil accendi debet in mente, nihil permitti debet in opere ardere. Non concupiscas ipsius aliquid, ut penitus eradiceretur à cogitatione.

IV. Tertium est, ut pariter bene cognoscat, quomodo, seu quibus armis resistere huic Amalech debeat, alterique suadere, nimirum tribus præcipuè. I. *Manifestatione tentationis*; quia, ut Cassianus ait, non valebit ignorationi ejus callidus hostis illudere, qui universas cogitationes in corde nascentes, perniciofa verendiâ nescit obtegere, sed eas maturo examine seniorum vel reprobat, vel admittit. Ilico namque ut patefacta fuerit cogitatio maligna, marcescit, & antè, quàm discretionis judicium proferatur, serpens deterrimus velut è tenebroso ac subterraneo specu virtute confessionis pertractus ad lucem, & traductus quodammodo ac dehonestatus discedit. Tamdiu enim suggestionis ejus noxiæ dominantur, quamdiu à no-

bis in corde cœlantur. 2. *Humilitate*, sed eâ mêmè, quâ sibi penitus diffidens, & sperans in DEO hoc auxilium petat, ac expectet; nam, teste S. Chryso, qui sudoribus ac laboribus suis adversus hujusmodi Adversarium pugnat, is ei similis est, qui inimicum super papyro ligavit: qui verò continentia ac vigiliis pugnet ei similis est, qui catenis hunc devinxit. Porro is, altissima humilitate & vacuitate iracundiæ sitique pugnat, is ei comparatur, qui occidit inimicum, atque in arena occubuit, arenam verò intellige humilitatem.

3. *Maturâ resistantiâ*: nam quemadmodum miles maximum ingressus facillè totam domum occupat; ita mentis tentatio haud difficulter mentem subjugat, si semel eam occupare sinatur. Hinc S. Hieronymus monet: Nolo, sinas cogitationem libidinis crescere; ne in te Babylonium, nihil confusionis adolescat. De parvo hostis, interfice: Nequitia, ne Zizania crescat, in semine elidatur. Audi Psalmistam dicentem: Beatus, qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad Petram. Quia impossibile est, in sensum hominis non intrare innatum medullarum calorem, ille laudatur, ille perdicatur beatus, qui, ut cœperit cogitare fordita, statim interficit cogitatus, & allidit ad Petram, Petram autem Christus.

## §. X.

*De Iracundia.*

I. Est inordinatus vindictæ appetitus, qui, si in actum prodeat, & brevi tempore duret, *Indignatio*; longiori, *Ira* vocatur, de qua quinque præcipuè doctrinæ bene nôsse, & observare debet Ascera.

II. Prima est, ut, quoniam duplex est Iracundia